



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 73. Amuratis consilia de pace cum Christianis pangenda

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

**Sæcul. XV. ret.** Verum suffragiis plurimorum præ-  
**A. C. 1444.** valentibus decreta est in Hungaria pro-  
 fecutio belli, missaque ex Italia classis se-  
 ptuaginta Triremium, cui præfectus est  
 Cardinalis Condulmerius Papæ nepos,  
 qui in Hellespontum navigans, portus  
 occupavit, subsidiariis Turcarum copiis  
 transitum interclusurus.

## §. LXXIII.

*Amuratis consilia de pace cum Chri-  
 stianis pangenda.*

**Bonfin. 3.** **Bellico** hoc apparatu territus Amura-  
**dec. 6.** tes, ut tot tantosque Principes in sui  
**Crom. l. 21.** perniciem conspirantes, quibus par esse  
 diffidebat, dissiparet, serio pacem inire  
 meditabatur, cui antehac tam odio Chri-  
 stianæ Religionis, quam Imperii sui la-  
 tius protendendi cupiditate stimulatus,  
 nunquam aures præbere voluerat. Jube-  
 bat, Socero suo Despotæ Serviæ, quem  
 non solum principatu, sed & liberis suis  
 exuerat, si pax ejus opera sanciretur,  
 utriusque restitutionem clam promitti.  
 Georgius speciosæ hujus pollicitationis  
 lenociniis allectus, rem cum Huniade  
 communicavit, quem promissis quadra-  
 ginta millibus aureorum, & nonnullis  
 oppidis, quæ in Hungaria ancipiti jure  
 occupabat, ad pacem inclinavit, ipsum-  
 que Poloniæ Regem, jam aliunde profe-  
 quendi

quendi hujus belli tædio affectum, facile ad suas partes induxit. Ergo, dolente quidem ad hæc vehementer Juliano Cardinale, induciæ in decennium pactæ sunt his conditionibus; Amurates Bulgariam teneat; cetera omnia in illis terris ab eo occupata illis restituat, quorum juris ante bellum fuerant. Captivis etiam sua utrinque libertas concedatur præprimis vero Georgii Despotæ Serviciæ Filii liberi dimittantur.

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

## §. LXXIV.

*Fœdus cum Amurate.*

Cum autem ventum esset ad pacta firmanda, & Turcæ peterent, ut prolata in medium sacra Evcharistia Ladislaus juraret, hoc ne fieret, omnino restitit Polonus quidam nomine Gregorius, postea Episcopus Leopoliensis. Igitur Rex super Evangeliorum libro, Turcæ autem super Alcorano jurarunt. Jcto hoc foedere, & præstito utrinque Sacramento, Condulmerii Cardinalis, qui in Hellesponto Classi præerat, literæ allatæ sunt, in quibus significabat, Amuratem ex Europa cum omnibus copiis in Asiam adversus Caramanum trajecisse, proin occasionem maxime opportunam offerri, nullo negotio recuperandi, quicquid Turcæ suo imperio